

DE HIS QUI AD STATUAS CONFUGIUNT.

1.25.1

*Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. Cynegio pp.*

Qui ad statuas vel vitandi metus vel creandae invidiae causa confugerint, si certas habuerint causas, quibus confugere ad imperatoria simulacra debuerint, iure ac legibus vindicentur, si vero probati fuerint artibus suis invidiam inimicis creare voluisse, ultrix in eos sententia proferatur.

*D. prid. non. Iul. Constantinopoli Honorio np. et Euodio cons.* [a. 386]

DE OFFICIO PRAEFECTORUM PRAETORIO ORIENTIS ET ILLYRICI.

1.26.1

*Imp. Alexander A. Theodoto.*

Libellus praefecto praetorio datus pro contestatione haberi non potest.

*D. prid. k. Oct. Agricola et Clemente cons.* [a. 230]

1.26.2

*Idem A. Restituto.*

Formam a praefecto praetorio datam, et si generalis sit, minime legibus vel constitutionibus contrariam, si nihil postea ex auctoritate mea innovatum est, servari aequum est.

*D. id. Aug. Severo et Quintiano cons.* [a. 235]